

CHRISTO.
PHORVS BE-
SOLDVS

De

Tutelâ & Curâ.



TUBINGÆ,

Typis Iohan-Alexandri Cellii.

ANNO M. DC. XX.



Definitio Tutela.



AB HORREO AB EORUM OBSCURA diligentia, qui juridicas definitiones, ad *alex-
betar* Logicorum, præter utilitatem, & præter exemplum, tam jurisconditorum, quam interpretum vetustiorum volunt revocare. Censeo itaque, Tutelam probè Servium definivisse; quòd sit jus ac potestas in capite libero; ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit: jure civili data, ac permessa. §. 1. *Instit. d. Tutel. l. 1. ff. eod.* Eamque etiam definitionem, Everh. Bronchorst, 2. *miscell. assert. 3.* absolutam ac elegantem vocat; desumptam à causâ efficiente, materiali & finali.

2. Generis loco rectius ponitur jus ac potestas, quàm contractus. Dn. Ernest. Cothman. *disp. jur. civ. 3. coron. 1. Dominic. Arumæ. exercit. Justin. 3. th. 1.* Licet enim tutelam suscipiens, quasi contrahat; id tamen sit ex accidente: principalis namque tutelæ finis non est, ut tutor obligetur, sed ut pupillus defendatur. Sicque generis loco poni nequit, quod ex accidente, & per consequentiam venit.

3. Perperam etiam definiretur Tutela, per actum legitimum: Tutoris quippè datio, legitimus est actus, non ipsa tutela. l. *actus legitimi. 77. d. R. I. Dn. Harpprecht. Inst. h. §. 1. num. 7.*

4. Dico Tutelam esse jus ac potestatem. Et ita non placet, quod quidam in d. §. 1. *Inst. hic.* legunt, *vis ac potestas.* Nam & Theophilus Græcus institutionum Paraphrastes, *δικαιώματα καὶ ἐξουσία* vertit, quod & Harmenopulus facit. *lib. 5. tit. 11.* Nec impedit, quòd subsequitur paulò post, Tutores sunt, qui eam vim ac potestatem habent: namque per Synonymon copiosius explicatur, quod in definitione propriè dicendum erat. *Treutler. vol. 2. disp. 8. th. 1. lit. b.* Regerit quidem Dn. Val. Riemer. *decad. quest. jurid. 5. thes. 1.* vim etiam denotare legitimam potestatem; & ineptire, qui hinc vim pro violentiâ sumunt. Sanè non id nego: & scio vim idem quandoque